

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8677

**Auteur(s)** : Robert Ier, Alençon (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1215, mars

**Lieu d'émission** : Neufchâtel-en-Saosnois

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

CINQUIESME CHARTRE DE ROBERT COMTE D'ALENÇON. — Dans cette nouvelle charte de confirmation accordée par Robert II d'Alençon. On trouve une liste très-détaillée des possessions de notre abbaye. Au milieu de cette longue énumération on peut relever les noms nouveaux de la Goudière, fief de la paroisse du Val, et de Blanchefeuille ; le fief de Barutel à Mamers ; un cens à Montsor ; la ferme de la Chaussée en Saint-Paterne, et une dîme sur la paroisse de Coulombiers. Robert exprime à nouveau le désir d'être inhumé à Perseigne auprès de son frère Jean ; il recommande qu'on y ramène son corps en quelque endroit que la mort vienne le frapper, quand même ce serait en Palestine. Cette charte fut scellée au couvent de Perseigne en mars 1214.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XI, p. 27-32.

## Dissertation critique

Mars 1215 (ou 1214) : Pâques tombe le 30 mars en 1214 et le 19 avril en 1215.

Texte d'après a

Sancte matris ecclesie filiis universis ad quos presentes litere iste pervenerint Robertus comes Alenchonis, filius Johannis comitis filii Willermi comitis Pontivii et Alenchonis, salutem in omnium salvatore. Quum a natura labilis est homini memoria ut quod legitime a preteritis patribus dignis laudibus et memoria actum est oblivionis incommodo interveniente malignaque et astuta posteritate succedente in irritum reducatur nisi charte memorie commendetur. Noscant igitur presentes et futuri nos dedisse concessisse et presenti charta in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosynam confirmasse Deo et Beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo et Beate Marie et omnibus sanctis servientibus et servituris, in primis locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum rebus, edificiis, nemoribus et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Sancto Jacobo cum edificiis suis usque ad cheminum per quod itur de Sancto Remigio de Plano per subtus Noas et ductum Richoer et per aquam venientem ad stagnum desuper abbatiam apud Sanctum Paulum, cum terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis grangie supradicte. Grangiam de Haais cum terris, pratis, pasturis, et pertinentiis suis videlicet a capite ducti de Vecteri egredientis a foresta nostra per vallem de Guitonnet, quousque recipitur in aquam venientem de Brithesca subtus vetus Leurcium. Domos, terras, et homines de Landis, feodumque et terras Hay cum pertinentiis suis. Grangiam

de Ragoneria cum hominibus, terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis ; habergamenta, terras, prata, homines, census et redditus de l'Espechelleriée. Locum qui vocatur Buygnon juxta Novum-Castellum cum domibus, terris pratis, pasturis, et aliis pertinentiis suis. Et omnes res, homines et possessiones quas habent dicti monachi in tota parrochia supradicta. Vineam etiam de Novo-Castello cum pressoriis, domibus et edificiis, cum plessiis, clausuris, fossatis, et aliis pertinentiis suis usque ad magnum nemus et circiter. Molendinum de Britesca cum molitura totius Novi-Castelli et stagnum ejusdem Molendini cum hominibus, habergamentis, terris, pratis, pasturis et aliis pertinentibus ad locum de Britesca antedictum. Molendinum fullonarium cum molituris et pertinentiis suis. Feodum de Gouderia cum terris, pratis, nemoribus et aliis pertinentiis suis. Habergamentum et Pressorium de Albo-Folio cum terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis usque ad forestam nostram prout divitur per sepes et fossata. Habergamenta, feodum, homines, census et redditus de Pereria, de Bella-Platea, de Bihalaïs cum pertinentiis suis. Grangiam de Altanosia cum edificiis, terris, pratis, pascuis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Res de Liveto. Medietariam de Alba-Spina cum terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Monte-Populano cum edificiis, terris, pratis, pascuis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Habergamenta et vineas de Pireto cum pressorio, terris, pratis, feodis, censivis, hominibus, censibus, redditibus, et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Thusca cum edificiis, terris, pratis, pascuis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Habergamenta de Mennona cum terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Thoigne cum edificiis, terris, pratis, pasturis, et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Alba-Landa cum rebus edificiis, terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Grangiam de Cortremblayo cum edificiis, terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Et quicquid habent in parrochia Sancti Vivenciani et in molendino de Pratis et circa. Molendina de Mamerto cum molitura totius Mamerti in quibus cum Blesensibus monachis dividunt in omnibus, videlicet tam in moliturengiis, justitia, emendis, quam eventibus, et caducis prout in cartis felicis recordationis Willermi quondam cenomanensis episcopi et in aliis ipsorum cartis et privilegiis plenius continetur. Habergamenta, molendina, feodum, terras et homines de Barutel cum pertinentiis suis ; molendina, feodum, homines, habergamenta, census et redditus de Forti Manerio cum pertinentiis suis. Et quicquid habent in tota parrochia de Mamerto. Grangiam de Clarofonte cum edificiis, terris, pratis, pascuis, pasturis et aliis pertinentiis suis et quicquid habent in parrochiis de Contilleyo, de Blavia, de Auditu, de Alneolis et de Losis. Grangiam de Rolers cum pratis, pascuis, pasturis et aliis pertinentiis suis, et juxta eandem grangiam tres sexteratas terre cum habergamentis hominibus manentibus in eisdem cum immunitatibus, quictanciis et libertatibus suis. Et quicquid habent in tota parrochia supradicta, habergamenta, census, homines et redditus de Montesoro cum pertinentiis suis. Grangiam de Malafia cum bordis, terris, pratis, pasturis et nemoribus usque ad aquam que dicitur Sorel et ultra usque ad bordas predictas sicut in chartis bone memorie et recordationis inclite Willermi quondam comitis Pontivii et Alenchonis avi nostri, plenius continetur. Grangiam de Calceia, domos et homines juxta bordas predictas. Agros et prata de la Laire et terras de la Boiterie cum pertinentiis suis. Concedimus etiam atque damus prefatis monachis et successoribus suis in omnibus et singulis locis predictis, appendentiis et dependentiis eorumdem, omnimodam venationem ad omnia grossa animalia et parva et omnem jurisdictionem, feodum, dominium et districtum et omnem justitiam altam et bassam et etiam plenariam absque hoc quod nos vel heredes nostri possimus ipsos monachos aut successores suos vel ipsorum causam habentes et habituros in aliquo molestare seu in locis et rebus predictis qualemcumque justitiam exercere. Concedimus et damus ipsis monachis presentibus et futuris burgensem unum de villa Alenchonis cum domo sua et heredem ejus eum scilicet qui domum ejus possidebit. Domum etiam Johannis Barate que sita est ante castellum Alenchonis. Hortos, decimam et canaberas de Barra et feodum Barthelemei. Et duas partes cujusdam decime site in parrochia Damigneyo in feodo Hain. Census etiam quos habent in villa Alenchonis et circa. Habergamenta, terras, prata et decimam de Columberis juxta Alenchonem cum pertinentiis suis. Hec autem universa et singula cum grangiis, terris, pratis, pascuis, pasturis, vineis, pressoriis, domibus, nemoribus, stagnis, aquis, molendinis, molituris, piscariis, decimis, censibus, redditibus, hominibus, usagiis, libertatibus, et liberis consuetudinibus et aliis rebus seu elemosynis, a predecessoribus nostris sive a quibuslibet Christi fidelibus eisdem data et concessa, ipsis monasterio et monachis in puram et perpetuam, liberam et quietam elemosynam damus et in perpetuum libere et honorifice possidenda concedimus, nichil nobis nec successoribus nostris in premissis universis et singulis, nisi preces ipsorum et orationes tantummodo retinendo. Item damus eisdem monachis et successoribus suis et concedimus usagium suum in omnibus forestis et nemoribus nostris et eorum appendentiis et dependentiis videlicet tam in haaiis, parchis, quam in deffensis et deffaaiis antiquis et novis ad omnia necessaria sua et omnium porcorum suorum pasnagium, ceterorumque animalium suorum omnium herbagium et pasturam, omni tempore, exceptis ventis et talleis a quibus debent usque ad septem annos animalia custodiri, nec volumus quod ab aliquo forestario vel custode forestarum vel nemorum impediatur vel etiam perturbentur. Item volumus et precipimus quod dicti monachi et

successores sui possint grangias, loca, medietarias, et ceteras possessiones suas tradere secularibus futuro tempore ad medietatem, redditum, vel ad firmam prout viderint sibi melius expedire. Et quod omnes qui loco et nomine dictorum monachorum in dictis locis, grangiis, medietariis et aliis possessionibus eorumdem quocumque modo in futurum manebunt, tam donati quam non donati, tam clerici quam laici, habeant usagium suum in omnibus forestis et nemoribus predictis ad omnia necessaria sua porcorum et omnium animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturam. Et gaudeant eisdem immunitatibus, libertatibus et privilegiis ratione locorum predictorum quibus et gaudent monachi sepedicti. Item de libertatibus, usagiis forestarum et nemorum illa laudabilis ordinatio et utilis teneatur quod in chartis ipsorum super pluribus articulis ipsius usagii plenius continetur. Preterea si dicti monachi vel successores sui per se vel alium non explectant vel explectaverint omne jus suum jurisdictionemque et justitiam in omnibus concessis eleemosinis et donationibus suis vel earum singulis, et usagium suum in omnibus et singulis jam dictis forestis et nemoribus videlicet tam in haaiis, parchis quam in deffensis et deffaaiis antiquis et novis, ceterisque omnibus vel aliquo ipsorum futuro tempore aut explectare cessaverint causa qualicunque, volumus et precipimus quod per nonusum prefatis monachis, aut ab ipsis causam habentibus vel habituris, nullum prejudicium generetur, quin possint uti omnibus et singulis predictorum quotienscunque necesse habuerint et sibi viderint expedire successorum nostrorum contradictione nonobstante. Et si aliqui de ministris et alocatis nostris aut heredibus vel subditorum nostrorum per vim seu per violentiam vel per qualemcunque occasionem in grangiis, locis, possessionibus sive quibuslibet rebus aliis in hac charta contentis et expressis, aliquam jurisdictionem vel justitiam exercent in futurum nolumus quod propter hoc aliquod prejudicium eisdem fiat nec exercitio illa jurisdictionis contra prefatos monachos vel successores suos nobis aut heredibus nostris in futurum proficiat nec in jure, possessione vel proprietate. Item volumus et concedimus quod ipsi et successores sui in signum perpetue ac libere eleemosyne et mere libertatis possint domos suas edificatas in locis predictis et etiam edificandas in posterum cruci signare. Item volumus et precipimus quod ipsi et successores sui, omnes res et eorum homines, sive illi qui in locis, grangiis vel aliis possessionibus ipsorum quocumque manebunt in futurum sint quieti et liberi de theloneo, passagio, pontagio, pedagio, coustumis, talleis, corveis, bosselagio, halagio, havagio, exitibus, visionibus, molituris, reparatione villarum, castrorum, pontium et viarum, omnique alia consuetudine et seculari exactione de omnibus rebus quas vendiderint et emerint vel deportare fecerint per terram et aquam in omni loco jurisdictionis et potestatis nostre. Volumus insuper et concedimus quod ipsi monachi et successores sui habeant et teneant quicquid jam acquisierunt, sive in posterum Deo propitiante acquirere poterunt, aut eleemosyna aut propria emptione de baronibus, militibus, burgensibus et aliis hominibus nostris cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quitanciis suis in bosco et plano, in omni loco potestatis nostre, cum omni jure, jurisdictione, justitia et districtu nichil nobis nec heredibus nostris in omnibus et singulis in presenti charta insertis et expressis in jure, justitia, possessione vel proprietate, nisi preces et orationes dictorum monachorum tantummodo retinendo. Et ne dictum monasterium, aliqua pravorum malignitate valeat in posterum perturbari, omni qua possumus auctoritate prohibemus ut ullus in eo, aut in locis ejusdem, prandium, hospitium, sive prebendam aut rem quamlibet aliam, improbe et quasi hereditario jure requirat, sed omnia integre, pacifice, libere et quiete conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione data sunt usibus omnimodis profutura, sicut in chartis pie recordationis Willermi, quondam comitis Pontivii predicti, plenius continetur, quas cum universis aliis chartis et privilegiis suis in omnibus et singulis articulis confirmamus. Item cum prefati monachi sint et fuerint cum omnibus suis extra gardam et jurisdictionem antecessorum nostrorum et in speciali garda, tuitione et protectione sancte matris ecclesie et nobilium principum superiorum nostrorum a sui principio fundamenti sicut patet in chartis et privilegiis eorumdem ; nos autem rem istam gratam habentes et laudabilem volumus et concedimus ipsos et successores suos, cum omnibus et singulis rebus, possessionibus, feodis, hominibus, censibus, redditibus, usagiis, libertatibus, justiciis et aliis bonis suis, in garda, tuitione et protectione predictis, in perpetuum libere permanere. Unde si aliquid juris et custodie, jurisdictionis et justitie super res. possessiones, homines et bona dictorum monachorum habemus vel habere possumus, illud eisdem monachis misericorditer remittimus atque damus, omni a nobis et heredibus nostris reclamacione remota. Neminem etiam bonorum latere volumus nos tam speciali amore Persenie abbatiam diligere ut ibidem, Deo annuente, juxta ossa dilecti fratris nostri Johannis nobis elegerimus sepulturam. Unde mandamus et mandando precipimus omnibus hominibus et fidelibus nostris ut ubique citra mare Jerosolimitanum nobis dies extremus vitam clauserit omnimode corpus nostrum ad predictam abbatiam referre satagant, et sicut proposuimus juxta fratrem nostrum sepulture nos tradant. Et ad omnia et singula, sicut superius sunt expressa, tenenda et observanda nos et heredes nostros obligamus per presentem chartam sigillo nostro sigillatam. Actum apud Perseniam anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo decimo quarto, mense martio. Presentibus his dominis Mauricio et Lisiardo cenomanensium et sagiensium Episcopis, Richardo vicecomite Bellimontis, Almarico de Creon, Willermo abbati sancti Martini sagiensis, domno Adam abbate Persenie et pluribus aliis.